



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Adalboldvs Marchianensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

nellensis ad Hilbertum Abbatem suum proximum Ansberti in Fontanella successorem. Exstat apud Surium, sed omisâ præfatione, vt aliæ multæ Sanctorum historiae. Ita Miræus. Ansbertum Fontanellam Halidulphus Abbas alti montis summo honore, inquit Molanus, linteis ceratis obuolutum, & sic vestitum, sicut sanctis altaribus assistere debuerat, detulit anno 695. In Blandinio frequens eius est memoria. Nam præter natalem annuè leguntur sequentia. Secundo Kal. Aprilis eleuatio & translatio sanctorum Wandregisili Abbatis, & Ansberti, atque Vulframni Archipræsulum. Tertio nonas Septembris in monte Blandinio Gandau territorij aduentus sanctorum corporum, Wandregisili Abbatis, Ansberti & Vulframni Archipræsulum. Decimo octauo Kal. Octobris. translatio corporis sancti Ansberti Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopi. Cæterum dum sancti viri corpus multis miraculis Fontanellæ clareret. Pipinus (quod gesta Fontanellensium Abbatum testantur) in peccati sui expiationem Floriacum monasterium in pago Velioecassino construxit, ipsumque Fontanellensi cænobio tradidit. Vide vitam ampliorem apud Haræum hoc die, qui ex Angrado refert eum Angradisinae Rotberti, qui gerulus erat annuli Regis Clotarij, filia iussu patris sui Siwini connubio iunctum fuisse. At cum vterque in proposito seruandæ castitatis permanerent, hunc Monachum illam monialem factam.

ADALBALDVS MARCHIANENSIS.

2. Febr. **I**N territorio Perragorico passio sancti ADALBALDI Ducis Duacensis, qui coniugem habuit sanctâ Rictrudem. Hic cum ex pago Austrebatensi, vbi multis locupletabatur diuitiis, in Guasconiam iter arriperet, & à malignis homi-

hominibus & ut fertur ab iis, quibus sanctum displicerat matrimonium est interemptus, sed foelicem eius animam viuere testantur, inquit Huchaldus, signa, quæ ob ipsius declaranda merita, ad eius mortua frequenter ostenduntur ossa. Additur in Catalogo Sanctorum Hannonia apud Petragorium caput haberi, licet corpus ad sanctum Amandum in terra sit, festumque eius solemniter in Aquitania fieri, quod inde certius cognosci velim. Recentiores passim notant quarto nonas Februarij, è quibus obitum eius notauit ad hunc diem. Frater eius fuit Arkenbaldus, tertius frater Sigifridus, qui duxit sanctam Bertam, de qua Iulij quartâ, Molanus & alij agunt.

BASINVS

Rex & Martyr Gandau.

TRuncinij primo lapide à Gandauo Basilicam Deiparæ construxit, quam S. Amandus Trajecti ad Mosam Episcopus & Gandauensium Apostolus Monasterio clericorum decorauit. Locum à Normannis vastatum Balduinus Caluus Flandriæ Comes 883. anno inaurauit, sed clericis qui regularem vitam abiecerant anno 1137. Canonici Regulares Ordinis Præmonstratensis successerunt, Iuano Comite Aloftano procurante. Vitam Basini è manuscripto Trunciniensi codice excerptam his coniunximus.

Passio S. Basini Regis & Martyris.

BEatus Basinus Rex ac Martyr Christi, ex regia stirpe & à Christianis parentibus est ortus, & ex sacro fonte baptisatus.

D 3

14. Jul. baptisatus